

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

### De Syllabi Pii PP. X propositione XXVII.

**De re litteraria apud Subalpinos.** — De iurisprudentia.  
**Friderici Chopenii commemoratio.**  
**Colloquia latina.** — Pilare certamen.  
**Ad Golgotham.** — Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta.  
**Vaticana muralis pictura Costantinum Imperatorem effingens baptismatis fonte regeneratum.**  
**Acta Pontificia.** — Pontificiae litterae ad Archiepiscopos et Episcopos Mexicanae civitatis ob saecularia solemnia ab instituta republica.  
**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.**

### Diarium Vaticanum.

**Annales.** — Balkanicae res. — In Graecia. — Finis Finlandiae.  
**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**  
**Per orbem.**  
**Bibrorum recensio.** (V. Cathrein. - B. Meistermann. - V. Giraud. - S. Scaglia. - A. Vicent. - A. Gemelli).  
**Bibri recens dono accepti.**  
**Epistolarum commercium.**  
**Aenigmata.**  
**Appendix: Arrae Gorgoniae.**

## De Syllabi Pii PP. X propositione XXVII

« Evangelio non crederem, nisi me catholice Ecclesiae commoveret auctoritas. »

S. AUGUSTINUS.

Errores qui sub Leone XIII, modo latenti serpebant, incredibili velocitate sub Pio X inter catholicos diffusi sunt, atque a modernistis acriter defensi fuere. Quamvis errores isti, prima fronte *sparsi veluti atque invicem seiuncti* videantur, tamen extra dubium est *omnium haereseon* *conlectum* efformare.

Ne igitur, per huiusmodi errores, fides corrumperetur, Pontifici Pio X placuit, Officio S. R. et Universalis Inquisitionis committere, ut praecepit inter eos « notarentur et reprobarentur ». Saera Congregatio mandato Pontificis obediens, examen instituit atque *Decreto* quodam generali 65 propositiones reprobavit ac proseripsit. Hoc feria IV die 3 Iulii 1907 factum est. Sequenti vero feria V die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo. D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua decretum Emorum Patrum approbavit et confirmavit atque omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit. Itaque publici iuris factum est Decretum *Lamentabili sane exitu*, cui a nonnullis, propter similitudinem cum Syllabo Pii IX, recte nomen « Syllabi Pii X » tributum fuit. (1)

Inter propositiones damnatas, duodecim propositiones (27-38) inveniuntur, Divinitatem, Ministerium, Denominationes, Doctrinam, Scientiam necon Resurrectionem Iesu Christi respicientes. Innixi Augustini (2) verbis: « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me

catholice Ecclesiae commoveret auctoritas », in *Voce Urbis* examini subiicimus Propositionem 27<sup>am</sup>, quae sonat: « *Divinitas Iesu Christi ex Evangelii non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.* »

\* \*

Propositio haec, quasi ad litteram desumpta fuit ab ipso Loisy (1) dum scribit: *La Divinité du Christ est un dogme qui a grandi dans la conscience chrétienne, mais qui n'avait pas été expressément formulé dans l'Évangile; il existait seulement en germe dans la notion du Messie fils de Dieu... La Divinité de Jésus n'est pas un fait de l'histoire évangélique.* Per recensitam Syllabi propositionem reprobatur 1<sup>o</sup> error dicentium: « *Divinitatem Iesu Christi ex Evangelii non probari* »; 2<sup>o</sup> assertio dicentium: « *Christus est Deus quia Messias Iudeorum, est utique a Deo electus, consecratus, spirituque Dei donatus, sed manet homo, ideoque etiam Christus, homo purus est* ».

In primo errore invenitur Renan (2) dum rhetorice scribit: « *Nunquam intentio Christi fuit, se esse ipsius Dei quamdam Incarnationem; silent Evangelia Synoptica, ac in solo S. Ioannis Evangelio hoc indicatur. Iesus Ipse doctrinam hanc reiecit, dum (MATH. XIX, 17) ait: « Unus est bonus Deus »; Iesum esse Deum vel aequalem Deo calumnia quaedam Iudeorum est. Ipse se minorem Patre declaravit, quamvis Iesus Christus maior homine sit, infinite tamen a Deo distans est* ». Idipsum docet A. Harnack (3) scribens: « *Apostoli Pauli speculationi debetur fides, qua creditur Deum fuisse in Christo et Christum naturam quamdam caelestem habere.* Propo-

(1) *Autour d'un petit livre. Lettre à un archevêque sur la Divinité de J. C. I.*

(2) *Vie de Jésus* e. xv.

(3) *Das Wesen des Christentums* p. 32 et 116.

(1) Cfr. De Valore Syllabi (P. FEI). Friburgi Helvetiorum 0,50.  
(2) *Epist. Manich.*, 6.

sitio « Ego sum Filius Dei » non est a Christo, et si in Evangelio ponatur, aliquid Evangelio additur ». Haec omnia ab ipso Loisy confirmantur in alio suo opere (1) damnato, cuius verba gallice nobis transcribere placet: *Le Christ est le président de la société des élus... Le titre de Fils de Dieu... appartient à Jésus, non à raison de ses dispositions intimes.*

\*\*\*

Praedictorum errorum critica habetur, si ex Novo Testamento *Divinitas* Iesu Christi appareat. Apparet vero :

I) Ex parabola de vitoribus homicidis quae in S. Marce (xii, 1-12) legitur : « Vineam pastinavit homo,... et locavit eam agricolis, et peregre prefectus est. Et misit ad agricolas in tempore servum ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium servum : et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. Et rursum alium misit et illum occiderunt : et plures alias : quosdam caedentes, alias vero occidentes. Adhuc ergo unum habens filium charissimum ; et illum misit ad eos novissimum dicens : Quia reverebuntur filium meum ! Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est haeres ! venite, occidamus eum ! et nostra erit haereditas ! Et apprehendentes eum, occiderunt ; et eiecerunt extra vineam ».

Modo quid sub velamine huius parabolae latet ?

a) Filius ille « charissimus, unicus, haeres patris, dominus vineae » est Iesus Christus, qui propter suam aeternam nativitatem, supra omnes filios adoptivos Dei constituitur.

b) Servi missi, occisi, vulnerati atque calumniis affecti, Prophetae Veteris Testamenti ac Sancti Israel sunt, qui ante Christum missi fuere.

c) Missio filii charissimi, unici atque haeredis, missionem neenon Iesu Christi adventum pro generis humani salute significat.

d) Iura Patris sunt iura Filii, ideoque Christus iubibus Patris gaudet ; et quemadmodum Pater, ita et Ipse, dominium universale mundi possidet, supra mundum regnat, non quidem regis humani more, sed uti Deus. Aliis verbis, per hanc Christi parabolam, divinae Filiationis et consequenter Divinitatis Iesu Christi, tres statuuntur characteres : 1<sup>o</sup>) exaltatio Christi supra omnes Prophetas, aliasque Dei servos Veteris Testimenti ratione sua nativitatis ; 2<sup>o</sup>) iura Christi extensa ac plena, sicuti iura Dei Patris ; 3<sup>o</sup>) exinanitio voluntaria Christi ad formam servi, quum tamen « in forma Dei esset ». (2)

\*\*\*

II) Apparet ex confessione Christi, relationes suas ad Patrem determinantis. Legitur (MATH. XI, 25, 27) : « Iesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae,

(1) *L'Évangile et l'Église* p. 53-57.

(2) Cf. Rose, *Études sur les Évangiles* (p. 201) ch. 6, II : *Le fond mystérieux de Jésus vient enfin à la lumière ; cette personnalité, qui, sous le titre de fils de l'homme, travaillait sans éclat, silencieusement et lentement à l'oeuvre du royaume des cieux, ose revendiquer des honneurs tels qu'ils conviennent à un fils né de Dieu, les droits mêmes de Dieu.*

quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis... Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ».

In hisce versiculis, fit sermo :

a) de rebus absconditis quae a S. Ioanne (III, 12) « cœlestia » vocantur, quaeque aliud non sunt, nisi regni Dei mysteria;

b) Afferatur, neminem comprehendere, quid sit, velit, discernat Pater; et Christum haec omnia scire et nosse. Ex alia parte solummodo Pater cognoscit et novit Filium, ita ut Filius adaequet Patrem, et Pater Filium, et inter Patrem et Filium existat vera « Circummission » uti a theologis dicitur, qua Pater est totus in Filio, et Filius totus in Patre. (1)

c) Consequenter, Christus cognoscit, uti Deus Pater cognoscit : potest ea, quae Deus Pater potest. Et quia in Deo cognoscere est esse eius, ideo Christus, cuius cognoscere est cognoscere Patris, habet idem esse, eamdem naturam ac Pater. Neque A. Harnack audiens est, arbitrarie explicans divinam Iesu Christi Filiationem (2).

Ex allatis igitur testimoniis, tria iure inferimus : 1<sup>o</sup>, quod Filiatio divina Christi praexistens est, atque temporalem nativitatem eius praecedat ; 2<sup>o</sup>, quod Christo, omnia a Patre tradita sunt, quia est Filius Dei ; 3<sup>o</sup>, quod Christus, quia Filius Dei, habet modum divinum cognoscendi ipsum Patrem, qui quidem modus cognoscendi, eamdem divinam Patris naturam importat in Christo. Ex Evangelii synopticis, post dicta, pro filiatione divina Iesu Christi ita arguimus : Iesu Christo ea filiatio tribuenda est, qualis in Evangelii synopticis exprimitur et manifestatur. Modo in tribus Evangelii synopticis, uti hueusque vidimus, exprimitur et manifestatur filiatio divina, exigens eamdem naturam Patris, eadem atque identica Patris iura. Ergo filiatio huiusmodi divina Iesu Christo tribuenda est, ideoque Ipse ex Evangelii Deus est.

\*\*\*

III) Apparet ex affirmatione, qua Christus in Evangelii se dicit « esse Deum ». Absque dubio, factum historici neenon critici consideratione dignum est, quod Iesus Christus, toto vitae sua terrenae decursu, continuo atque constanter affirmaverit « se esse Deum, unice Deum, supra angelos hominesque constitutum, iuribus divinis non limitatis sed infinitis, non aquisitis sed naturalibus praeditum, haeredem universalem omnium bonorum Patris, mundi Dominatorem, non qui-

(1) Cf. FEI *De Deo uno*, Vol. 1, n. 185.

(2) Prof. RAF. MARIANO (*Rass. Nazionale* Dic. 1902, p. 411, 12) haec contra Harnack scribit : *Dove il concetto vero di Dio e del Cristo fossero quelli che l'Harnack se n'è formato... non resterebbe altra via di uscita dalla profonda antinomia se non di ammettere necessariamente, che il Cristianesimo... come già frantese e scisso sin dagli Apostoli e dai cristiani primitivi, e sin da Paolo e da Giovanni, e lascia via via, in proporzioni maggiori, per opera di tutta la formazione dogmatico-ecclesiastica posteriore. Sicché processo storico del Cristianesimo e perturbazione, degenerazione continua, universale, progressiva e crescente di sua essenza sarebbero equivalenti.*

dem more regis temporalis sed more Dei. Modo, petimus nos, affirmatio haec constans atque ininterrupta Christi, factum hoc unicum atque insolitum, quomodo explicari potest? Unum ex duobus est eligendum. Vel dicendum est, Christum illusum fuisse, vel Christum reapse esse Deum. Nequit vero primum affirmari, id est Christum illusum fuisse, quia homo illusus dignitatem vel missionem quam non habet, sibi tribuens, 1<sup>o</sup>) aliquando de dignitate neonon missione sua dubium patitur, atque rursus illusio eius facile cognoscitur; 2<sup>o</sup>) difficultatibus circumventus fatetur «deceptionem suam»; 3<sup>o</sup>) illusio quaelibet ad tempus perdurat, neque cum vita plane admirabili conciliari potest; 4<sup>o</sup>) non fertur desiderio ad ardua et magna. Contra Iesum Christum, nec momento aliquo, de Divinitate propria dubium passus est, neque deceptionem suam fassus est, quamvis difficultatibus discipulorum ac civilis potestatis undique circumventus; imo coram morte amarissima, et usque ad mortem et in ipsa morte, ea quae affirmavit, forti confirmavit animo. Rursus, rationalistis ipsis sponte factentibus, vita Christi terrena plane admirabilis, caelestis, divina, sine exemplo fuit. Igitur ex affirmatione qua Christus in Evangeliiis proclamavit se esse Deum, Christus vere Deus est (1).

\*\*\*

IV) Denique apparet ex modo quo Christus in Evangeliiis Filiationem divinam sibi tribuit. Christus enim non una, sed infinitis vicibus vocat se «Filiū Dei», tribuit sibi divinam Filiationem. Porro modus iste filiationem hanc sibi tribuendi, extraordinarius, inexplicabilis est, consortium naturae divinae in Christo Iesu necessario exigit. Siquidem Christus vocat se, a) Filium unicum, naturalem Dei, eadem ac identica privilegia Patris habentem, universorum haeredem, omnium creatorem. b) Fatetur se dignitatem inaccessiblem habitare, ad quam nunquam ullus hominum pervenire poterit, atque ita ab hominibus distare, ut inter homines et Ipsum, Angeli intercedant. c) Differentiam inter filiationem suam naturalem ac filiationem acquisitam discipulorum statuit, quumque illis praecipiat ut oratione quae «Pater noster» vocatur, orent, Ipse «Patrem suum orat». d) Indicat gradum quem occupat, per S. Marci (xiii, 32) testimonium: «De die autem illo, vel hora nemo seit, neque angeli in caelo, neque Filius nisi Pater» et Ipse est, apud Patrem, in Patre, in sinu Patris.

Fas est ergo concludere contra Modernistas: Ex parabola de vinitoribus homicidis, ex Christi confessione, ex Christi affirmatione, neonon ex modo quo Christus Filiationem divinam sibi tribuit, *Christus est vere Deus*, ideoque *Divinitas Iesu Christi ex Evangeliiis probatur*. (2)

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI, O. P.

(1) Cf. ROSE I. c. xi, 202. Qui de hac affirmatione Christi ait: *N'est ce pas là un fait sans exemple, un unique dans l'histoire...? Voilà une prétention sans exemple et sans précédent: elle n'a pas été reprise, et elle sollicite la méditation de l'historien et du critique.*

(2) Cf. FEI *Theol. Dog.*, De Christo Vol. 3, n. 81.

## DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS<sup>(1)</sup>

### De iurisprudentia.

Iurisprudentiam omnibus temporibus et apud omnes gentes in honore semper fuisse facile constat. Ipsa enim potissimum homines ad munera publica nituntur. Atque adeo maxima iurisconsultorum copia apud nos pervenit, qui id ingenii acumen in aliorum sententiis dispiciendis ostentarent, et in enucleandis legibus posuerunt, ut aliquando cum exteris in contentionem de iurisprudentiae primatu venerint. Ad haec nostri, ut sibi gloriam, regno subsidium compararent, principes, compositis rebus, huic studio maxime faventes, doctissimos undique viros maximis propositis praemiis ornamentisque ad docendum invitarunt. Ad scribendi genus quod attinet, aperte dicam: neque in illorum operibus orationis nitor plane desideratur; etiamsi nondum ad veram germanamque eloquentiam adsurgant. Quum vero primum nova tempora effulserunt, complures et in hac disciplina primas obtainere videntur. Vim enim et quasi flammarum oratoris alit ius, unicuique datum, de iis libere dicendi, quae ad civium commoda, atque ad reipublicae in columitatem potissimum pertinent. Et ipsi doctores, deposita quoddammodo severioris iustitiae gravitatis persona, quum de legibus apud discipulos actitabant, summo studio ad eloquentiam nitebantur, ut ad nutum atque arbitrium auditorum voluntates se fingerent atque accommodarent. Hos inter adnumerandus est *Matthaeus Pescatore*, in vico a S. Georgio dicto in Salassis humili loco natus, qui vi ingenii, studiorum amore, iurisperitorum sui temporis doctissimus salutatus est. Ipse enim in ipso aetatis flore, facilis atque acerrimus orator, ius in Archigymnasio Taurinensi tradidit, et multis operibus conscriptis, patriae lumen adstitit atque disciplinae suae ornamentum. Ex multa eruditione, ex pluribus artibus, et omnium rerum scientia exundat et exuberat eius admirabilis eloquentia. Quum vero lege cautum esset ut latino sermone in scholis quisque professor uteretur, hic ita scitus atque elegans videbatur, ut cum electissimis latinae linguae cultoribus decertare posset.

Omnia quae in schola de iure tradebat, in vulgus italicico sermone exarata mox edenda curabat. Tunc

(1) Cfr. ann. XIII, n. I.

enimvero, cum propter assiduitatem in dicendo et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus, animos lectorum ad se scribendi novitate convertit. Et externi libros eius sapientes atque ad severitatem compositos legere cum admiratione consueverunt. Nam sive de iuris scientia scribat, sive de reorum causis inspiciundis, hisce prorsus virtutibus elucet, quod stilum prudenti ratione rebus hominibusque accommodare videatur.

Ac propterea nil mirum si ipse ad suprema reipublicae munera pervenerit, senator Regni adscitus, novissime in suprema Curia Romana adlocutus Fisci et praeses sit dictus, atque omnibus honoribus sit auctus.

Quod honoris gratia de Papiniano dicebatur, ei merito passim aptandum videtur: *Iuris asylum et doctrinae legalis thesaurus.*

Multi alii praeterea apud nos iuris studio dediti fuerunt, quorum opera, labentibus annis, iurisprudentia, plurimis quotidie inventis additis, novum quasi vultum induit. Qua de causa iurisconsulti tot honorum insignibus fuerunt honestati, ut nihil iis ad dignitatem deesse videretur. Satis sit *Fridericum Sclopis* Comitem a Salerano memorare, cuius arbitrio fuit olim demandatum certamen inter Angliam atque Americanam gentem Septentrionalem; qui sua gratia, sapientia atque auctoritate, prohibuit, omnibus undique populis admirantibus, quominus fortissimae illae nationes ad arma convolarent.

In medium quoque referam *I. Mattirolo*, qui Matthaei Pescatore, immortalis magistri, vestigiis insistens, de universo iure conscripsit, atque ita Subalpinorum nomen non modo apud omnem italicam gentem renovavit, sed et apud exteris iurisprudentium familias. Hic enim universum italicici iuris codicem in unum corpus congestum miro ordine ac perspicuitate enucleavit in omnium utilitatem, ita tamen, ut nemini fas sit ad praestantiam quamdam adsurgere quin illud resciat. Iurisconsultorum mores et ingenium reddit, qui legum carmen et concepta verba mordicus tenere consueverunt. Horum non nina non obscurabit oblivio, etsi aetas alias rebus doctiores ferat, et virorum sapientium famam sapientiorum ingenium supergrediatur et supereret.

SUBALPINUS.

*Labitur occulte, fallitque volubilis aetas.*

Ov., Am., I, 8.

## FRIDERICI CHOPENII COMMEMORATIO

Quemnam, sin minus musica, at nomen certe latet Friderici Chopenii, cuius patria eadem est atque mea, Polonia, in qua ante annos centum lucem vitae conspexit et quae haud ita multo ante, extrema parte elapsi mensis Februarii, intra dies assidui luctus, quem ei sors tristis apportat, serio laeta tota sollemniter huius nobilissimi filii ortus commemorationem celebravit? Nam **XXII<sup>a</sup>** die eiusdem mensis centum anni effluxerunt ex quo is natus est, qui Poloniae nomen insolito ingenio et arte nobilitavit; et quidem quanam arte? quae, quamquam non verbis, sed mutis tantum vocibus et sonis utitur, hominum tamen animos distincte alloquitur. Quid dico distincte? — distinctius etiam, quam verbis; nam non solum intellectum amplectitur, sed et sensus, quos vult, excitat animosque movet, hilarat, tranquillat, contristat. Musica enim est, quae non rationem solum, sed mentem quoque penetret, cuius linguam sonantem non solum intelligamus, sed etiam sentiamus. Qua re mihi etiam poësi praestare videtur, quod poësis ars est, quae suus tantum populus, ex alienigenis autem linguae poetae particeps et gnarus tantum delectari potest isque non semper, nam *Wer den Dichter will verstehen, muss in Dichters Lande gehen*(1); musica autem magis «internationali» vi et potestate est exornata ita, ut quae loquitur et exprimit, omnium gentium homines exculti intelligere sentireque possint, scilicet si ars perfecto, probo, non depravato ingenio fulcitur, ut communem hominum naturam non laedat.

\* \* \*

In huiusmodi artificum ingeniosissimorum numero iure meritoque habetur Fridericus Chopenius noster, quam ob rem non Polonum modo eum sed «omnigenum» eumque clarissimum artificem musicum appellare audeam, id quod exteri etiam gravi iudicio critici probasse videntur. Nam quid scimus exclamasse Germanum Robertum Schumanum, quum Chopenii non plus quam duodeviginti annorum iuvenis opus II (*Variationes ex «Don Juan»*) in ephemeride «Neue Zeitschrift für die Musik» vidisset? «Ilut ab, meine Herren! Ein Genie!» — «Aperite caput qui adestis; ingenium sublime salutetis!»

Quam opinionem postea et alii celeberrimi viri, ut Mendelsohnus, ut Marmontelus communicasse cum eo dicuntur. Tam igitur divina potestate, tam

(1) I. e.; «Qui poetam vult intelligere, eius patriam adeat necesse est».

sublimi arte iam iuvenis Chopenii musica percellebat hominum animos et mentes!

Sed quid praecipue est in hoc ingeniosissimo genere musicae Chopenii, quod tam valide animos et mentes concutit, permulcet, allicit, ineffabilibus deliciis afficit? O honestissimum fontem inflammationis! o castissimum patriae amorem! Tu tres Polonorum poetas, Mickiewicium, Krasinskium, Słoczaekium, celeberrimos reddidisti, quorum primus etiam proprio poeta universae humanitatis et fraternitatis est existimandus; tute et Chopenii artem exornasti illa admirabili vi caritatis humanae, quae ex dolore et moestitia iniusta vi oppressorum nasci solet. Ita est: Chopenii artis venustas, paene dicam, fascinatio invicta eadem ratione, qua et trium illorum poetarum, maxime ex eo hausta est dolore, quo omnium eorum teneros animos calamitas et desiderium patriae, qua usque ad mortem in exteris nationibus caruerunt, opprimebat et torquebat. Quam opinionem haud ita multo ante ex ipsis Russis quidam (heu! nominis miser sum oblitus), quum et is commemorationem Chopenii celebraret, ita illustravit: — Stutgardii morabatur Chopenius, iuvenis, quum Varsavia a Paskewicio est expugnata: quo doloroso nuntio accepto creavit opus

(proprie tria erant: *Étude C-mol*, *Praeludia A-mol et D-mol*, n. a), quod, quamquam dolorem, querelam, desperationem atque iram adversus patriae hostes in se continet, tamen delicias, ut omnibus, ita nobis quoque parabat et usque parat. — Nempe tam divina, tam honesta arte affectus omnes reddit.

Et quod praeterea maxime est mirandum, Chopenius omnia opera sua adeo polono habitu vestiebat, ut, qui Polonorum nationem quoquo modo cognitam habet, statim artificem Polonum recognoscat, id quod Schumannus idem aliquoties iam commemoratus etiam indicavit, quum diceret opera Chopenii habere zu spezielle sarmatische Physiognomie, hoc est « indolem Sarmaticam nimis », et optaret, ut magis *weltbürgerlich* (cosmopolitanus) fieret.

Utcumque est, Chopenius *weltbürgerlich* factus est et Polonię patriam ubique per orbem terrarum honestavit ita, ut liceat mihi cum quadam superba voluptate exclamare: Io! trium-

phe, Friderice Chopeni; utinam caelum plus tibi gaudii et beatitudinis condonet, quam terra donavit!

Varsaviae Polonorum, mense Martio MCMX.

JOSEPHUS WABNER.



Fridericus Chopin

(Ex antiqua tabula acre cusa.)

## COLLOQUIA LATINA

### Pilare certamen.

PETRUS. — Eia, sodales, tempus labitur; hoc vespera deambulationi dabimus operam per duas ad minus horas et loquendi desiderium explere poterimus...

ANTONIUS. — Quid hoc sibi vult? ut paulisper ludamus?

P. — Id ipsum intendebam significare; libetne?

A. — Quod ad me attinet, quamprimum; dudum enim de hocce cogitabam; hic vero Ioannes, si sermonem arripiat...

IOANNES. — Misericordia Ioannem! tu unus loquax hic... ut si ceteri garrire non amaverint!

P. — Age, mi homo; iniuriam non puto adeo gravem ut sic irascaris.

I. — Mene irasci? nihil minus... Eamus ludere.

P. — Optime, sed quo ludo?

I. — Pilâ ludemus, si placet.

A. — Cunctis placet, namque id ludi, saepe Moderator noster inquit prodesse omnibus; et ego certo scio eum libertissime exspectare dum nos ludamus. Eo pilam ut afferam.

FERDINANDUS. — Et in hoc verum dicit Antonius. Cernatis Moderatoris supercilium quum, tempore recreationis, nos sedentes aspicit. Abhinc paucos dies eramus Sylvester et ego vere quieti, illic, iuxta parietem horti, dixitque, obiurgans, nos senes videri.

I. — Senes videri? et quid istuc?

F. — Quid, rogitas? Quoniam illa nostra tranquilitas tantummodo licebat invalidis senibus, quibus, ut nobis, cursitare atque salire usque non datur.

P. — Numne ab eo saepissime audisti, ludum non amare indicium esse non satis commodae valetudinis?

F. — Sibique displicere tristes pueros, quantum arrident semper hilares ut usquequaque garrientes?

I. — Concedi quidem potest hoc ut simus semper hilares; garrire vero usquequaque...

F. — Iam tenetur, mi bone, quum tempus est garriendi. Sed ecce Antonius redit cum pila.

A. — En affero duas: ex his eligite quae magis placeat.

I. — Haec melior quae maior est.

P. — Sine videam ut resilit... Oh! valde mollis est; tentabo alteram... Hanc meliorem puto, nam quamvis aliquantulum minor, durior est resilitque melius.

F. — Istac igitur ludemus. Agite, bini contra binos. Quis mihi adhaeret? Singulatim quatuor fere aequaliter ludimus. Tu, Petre, et ego collusores erimus.

P. — Optime. Mittatis vos primi concedimus.

I. — Minime; nullam admittimus condicionem, quae nobis faveat; haec, si victus fueris, tibi erit excusationi.

P. — Recte dicas; iaciamus ambo pilam, et qui proprius ab linea eam resilire faciat, sit ille pro-lusor.

I. — Iacio igitur.... Imperite iactum intendi; steti longe fere ulna.

P. — Huc incidunt; locum indicemus aliquo signo.

I. — Movete ocios; quid signo opus est? (*Iacit Petrus*) Fecisti bene, Petre; in medium lineam incidunt... Nihil refert; vos estis prolusores. Retro eamus, Antoni, nos ex opposito collocati; accinge te operi. Tu illic, tuere sinistram; ego dexteram tenebo.

P. — Paratine?

I. — Evidem; quum velis, mitte... Hem! sustine paullisper. (*Sylvestrum videns*). Ecce Sylvester illic; vocamusne ut rationem habeat punctorum iudexque sit in controversia?

F. — Non opus est; bonae conscientiae sumus: attamen, si aliud videtur, fac quod lubeat.

I. — Heus, Sylvester, in pilae ludo concertavimus; libetne rationem habere punctorum et controversias dirimere si forte oriantur?

SYLVESTER. — Si sententiis meis stare promittitis, non est valde operosum vobis hoc officium praestare.

F. — Sane; de istoc minime dubitandum. Uni verbo tuo omnes assentiemur.

I. — Sed cura ut in neutram partem voluntaria-

tem inclines; nemini faveas... semper quod iustum sit sententia tua....

S. — Negotium meum hoc; scio munera iudicis.

I. — Festina ludere, Petre.

P. — Facio igitur... Magis retro vobis ire oportet.

I. — (*Ad collusorem suum*) Sine me percutere... (*Vitium facit*) Hercle! oblique reflexit; aliter enim...

P. — Primum tantum nostrum est; unum contra nullum; bene incipimus.

A. — Sed quot punctis ludimus? Iam multa verba fecimus et de hoc nihil concertavimus.

F. — Duodecim punctis, ut mos est; si ad novem aut decem aequalitas fiat, aliquantulum ludum producere poterimus.

P. — (*Mittens iterum*) Hanc etiam tibi, Ioannes.

A. — (*Ad collusorem Ioannem*) Mea est... abi tu intro, ultra lineam... vicimus... Narra, Sylvester.

S. — Aequales estis; cuique unum.

A. — (*Ad Ioannem*) Prope ab muro te retine, ubi facilius resistere poteris; hic ero ego citra lineam, nam quum Petrus iacit, remissio est ardua valde.

I. — Bene dicas; ita enim longe mittit, ut ad re-torquendum firmo ientaculo munire se oporteat. Quidnam tibi videtur: vincemus?

A. — Fieri potest; at non est praecinenda victoria; eniti prius omni opera necesse est.

I. — Ithic Petrus valde certus ludit, nec in unum vitium incurrit. Ego... nescio, sed hoc mane for-tuna iuvare recusat.

A. — (*Ad Sylvestrum*) Quotum, ais, nos agere punctum, Sylvester?

S. — Vos quartum; hi sextum, dimidiam ludi partem.

I. — Crederem illos quintum tantum egisse.

S. — At non crederes bene; sextum dixi.

I. — Sit ergo sextum, non dubito. Nunc meum est ludere; videamus an missio nobis faveat aliquot calculis.

F. — (*Ad Ioannem qui oblique misit*) Heus, tu; hocce non valet.

I. — Qua de causa? non intra lineam incidunt? Fors fuit ut non resiliret; et id mihi obvenit aliquando; ergo patiens esto: patientia vobis neces-saria est.

(*Ad proximum numerum*).

B. GABARA O. S. A.

## ARRAE GORGONIAE

« *Vox Urbis* » commentarii appendicem, vid. in pag. 64.

# AD GOLGOTHAM

*Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta*

(Cfr. num. sup.).

SCENA IV. (Ludibrium).

BARBAAL (*daemon*) et IUDAS.

BARB. (*ingressus paulo ante, brachiis super pectus consertis, eum circumspexit, postea irridens*)

Ehus! Iuda e Keriot, tu mente desipis?

IUD. (*se se excutit lente, pergit ad laevam haud videns Barbaal*).  
Fortassis!

BARB. Te gravis tenet tristitiae  
Causa? decoxisti? vel te illusit quis dolis?

IUD. Missa istae face! haud placent! me iocas!

BARB. Iocaris, Iuda, tu: gravitati ego deditus.  
Ingenio placet hilari me vivere,  
Placet quidem, nosti... Magis sed si lubet...

IUD. Et pergis?

BARB. (*progrediens*) Galilaeus!...

IUD. (*extemplo*) Ne dicas, tace!

BARB. Ipse est qui turbat res tuas! Id nempe aio!  
(*irridens*) Erat telonium tibi percommodeum,  
Erat semper tibi grande marsupium....  
Sed mensa rumpitur, solvuntur socii....  
Marsupium....

IUD. Vah! spiritus perditissime!

BARB. (*prompte*) In illo erat tuus totus nempe spiritus!  
In illo tibi cuncta prospera. (*Iudas transilit*) Sine!  
Sine dicam! pravo vixisti iudicio!  
Erat marsupium tibi.... Res commoda!  
Unde expiscari pecuniam poteras,  
Tuosque digitos argenteos reddere.  
Eum de causa sequebaris unica!  
Cur os tu falso flectis in maestitiam,  
Quod vendidisti illum? Die potius  
Eum quod parvo vendidisti pretio!... (*violenter haec dicit*)

IUD. (*excruciatus*) Bonos tu mores, Barbaal, mi praedicas?

BARB. Potius quae pulera sunt libenter suggero.

IUD. Auctor rei fuisti mihi quam reprobas.

BARB. Modo sacerdotum obtuli propositum.  
Tibi, fac, dixi?

IUD. Rem pinxisti roseam!  
BARB. (*raptim*) Tuis ipse oculis reddidisti huiusmodi!

IUD. Verbis me fregisti plenis dulcedine....

BARB. Non ipse; vicerunt triginta nummuli.

IUD. Tute! Per te modo Magistrum prodidi!

BARB. Eum non amabas! Adisti pedibus,  
Non ad sequendum, sed ad luerandum potius.

IUD. Tibi quis haec dixit?

BARB. Tibi ipse saepius!

IUD. Quid rescis, tu magistrum si amaverim?

BARB. Nunquam! Tu amabas effigiem Caesaris,  
Super quae videtur fulgere denariis.

Tuus fuit semper totus horum amor! (*Hic Iudas terga ei vertit et ascendit, dum alter ironice et gravi supercilium*)

Iuda, fili Keriot, magni consilii  
In adquirendis undique pecunias,  
Aptam vidisti rem tibi perutilem.  
Ob id secutus es magistrum Nazareth!  
Est ille totus fixus in caelestibus,  
Totus tu, Iuda, fixus in terrestribus.  
Erant pol equidem decernenda munera!  
Iudas, vir magni consilii, cupidus  
Rerum, nimis sagax unguentorum venditor!  
Leprosi in aedibus Simonis explicat  
Malignos oculos cavos sicut lacus  
Genezareth: ex alabastri vase iudicat  
Assyrio nardi pleno pretiosissimi,  
Trecentos posse prendere hinc denarios.  
Maria Magdali struit sacrilegium  
Profecto, rupit cumprimum vasulum,  
Aroma spargens Galilaei super caput!

Enim tuum fulsit tune parsimoniae  
Ingenium! Nam totum unguentum vendere  
Cum fores impotens, modestus, ut tuus  
Mos est, remansit quod magistri in capite  
Pol vendidisti, superaddens ipsum caput.  
Eius saltem partem servasti decimam,  
Fuit quod optimum, ne totum perderes.

IUD. (*stetit in extrema parte cum observans brachiis consertis, amare*).

Idem tuas possem laudes exponere,  
Tibique debitum pro factis eudere... (*introgreditur Sacerdos Maximus cum turba*)  
Iuvat tamen silentium.

BARB. Nil prohibet.  
En audiat qui adest opportuno tempore.  
IUD. (*observat indignabundus sacerdotes et procedit*)  
Hoc fato cautum, pro poena certum mea,  
Ut hos inveniam per viam gradiens,  
Vel Nazareum, demum vel te, Barbaal,  
Hos nisi ego offendam mea pernicie. (*Barbaal longe flectit procedens in imam partem et introgreditur*).

SCENA V. (Obiurgationes).

IUDAS, PONTIFEX MAXIMUS, PHARISAEUS, SCRIBA, SADUCAEUS.

*Sacerdotes, Pharisaei, Scribae, Saducaeui  
et postea NICODEMUS.*

PONTIFEX MAX. (*introgressus quasi ad numerum Barbaal, sistit cum aliis intropiciens, interloquens et digitis ostendens, deinde in se conversus*)  
Iuda de Keriot, heic qui te invenio?

IUD. (*subtristis atque abstractus*) Ipse equidem scio quo vadam forsitan?  
(*Ei obrius*) Verum, sacerdos, magna si stat ratio,  
Cur tu mireris, dicam confidentius,  
Ad latus Iesu adesse te putarem bonum,  
Illic est locus tuus, non iam alibi!

PONT. Eum praecedo!  
 IUD. (*territus*) Istac ipse pertranseat?  
 M. SAC. (*ad laevam signans*) Illac. Enim si haec est brevior via,  
 Angustior trames... Cuncta Ierusalem  
 Eum persequitur. Tandem antiqua civitas  
 In se recessit...  
 NIC. (*e limine*) Hoc modo vos creditis  
 Qui estis de Synedrio.  
 PONT. Tuque credis admodum!  
 NIC. Tibi si dixero neutquam credere?  
 PHAR. Enim re vera haud erat ad Praetorium.  
 OMNES (*de turba*) Ita est! Ita est! Nobiscum minime ipse erat!  
 PHAR. Eis prorsus favet partem qui contraria  
 Sequuntur, inque sacerdotes mussitant!  
 PONT. Levis quae factio!  
 NIC. (*gravis*) Sumus pro iustitia!  
 PONT. (*exagitatus*) At pauci omnino sumant ut de populo  
 Causam!  
 NIC. { Ius nobis centum est pro militibus  
 Vir unus iustus est nobis pro populo!  
 PONT. M. (*quam certe*) Quid? Ius inane clamitat!  
 NIC. { Et obtinet!  
 Modo debetur esse si iustitia!  
 PONT. M. (*quam certe*) Erit nam qui iudex?  
 NIC. Deus!  
 PONT. Pro lege erit!  
 Et ipsa stabit quidem pro nobis usque lex!  
 NIC. Ei favet lex, contra ipse pro lege stat!  
 Vobis? Iudas favet modis nequissimis. (*anxius*)  
 PONT. (*Pharisaei, scribae et saducae, quasi uno ore*)  
 Nihil nobis illo est commune cum viro!  
 IUD. (*procedens*) Nihil fecistis sine ausu meo et manu!  
 (*Magna contentio Pharisaeorum etc. in Nicodemum et Iudam*)  
 NIC. (*stat manibus consertis eos tacite observans*)  
 PONT. Quid ipse dixit? Imputet factum sibi.  
 IUD. Dementes admodum, vultis qui vinculum,  
 Quod omnes adligat, manu nunc rumpere!  
 PHARIS. Est nullum nobis conventum cum pessumo!  
 IUD. Vester quidem totus sum per flagitium,  
 Et vester propter animam quam perdidisti!  
 (*auditur rumor*) Quid vos absconditis manum, furciferi?  
 Lapis fui si ego, sed estis funda vos;  
 Lapis si fateor, vos estis brachium,  
 Estis vos crimen quod conflastis subdoli!  
 Latens officina estis vos nequitiae;  
 Ex vestra crimen totum mente prodiit!  
 PHAR. Nihil commisimus nos in abscondito.  
 Ei, magistrum vocant quem discipuli,  
 Sumus locuti in templo confidentius!  
 IUD. Silete! Eratis in templo vos pallidi  
 Modo timescentes eius praesentiam.  
 PHAR. Eius sed crimen alte conquesti sumus! (*aliis dicit*)  
 OMNES. Ita est! Ita est! Crimen nos conquesti sumus!  
 IUD. Vos ipse in templo damnavit et synedrio! (*murmur*)  
 PHAR. Momordit magnis hic nos contumeliis!  
 IUD. Abite, dixit, vos, abite hypocritae!  
 Et me venistis tentaturi perfidi!  
 PONT. Quid? Ad Pilatum recta nos contulimus!  
 IUD. Ad me primum!  
 PONT. Quid? ad te nos descendere!  
 IUD. Mali ad Barabbam descendistis pessumi (*murmur indignationis*)  
 PONT. Sed non ad te! Rem tuam modo recepimus!  
 OMNES. Ita est! Ita est! Nihil magis recepimus!  
 IUD. Ut testarer tamen dedistis pretium!

PONT. Sic voluisti, ut eses testis... Pecunia  
 Data est tibi.  
 IUD. Falsum! sed professus fui...  
 Pecunia at vestra sit vobis! Nam cruciat! (*longe a se marsupium iniicit*)  
 PONT. Tu videris! (*cum aliis*) Nam cogitanda erant prius...  
 PHAR. Tibi, tibi videndum cum tuis dedecus.  
 PONT. Erat amicus lectus in discipulos!  
 OMNES. Ita est! E duodecim fuit!  
 PONT. Nobis enim  
 Hic adversarius fuit et iustitiae!  
 OMNES. Ita est!  
 IUD. Quid? Proh pudor!  
 PONT. Fuit ius! Lex at sanxerat!  
 OMNES. Crucifige! Crucifige!  
 PONT. Haec traditio  
 Tua est recta! solus sed ipse proditor.  
 OMNES. Ita est! unus est ipse solus proditor!  
 IUD. (*impetum in ipsos faciens voce grandiore*) Hoc equi-  
 dem verbo pelli a vobis potui!  
 (*Omnes territi vagantur, levis susurrus, deinde silentium altissimum*)  
 Vestrarum testis ego cur turpitudinum?  
 Probe ego adversum Nazarenum prodii!  
 Meum fuit sed dedecus? Qui nam modo?  
 Vos estis, Scribæ, Pharisei hypocritæ,  
 In me qui fertis omne nunc flagitium!  
 Eum dilexi nunquam! Opus nec credidi  
 Vobis propositum. Servator minime  
 Promissus! In quibus vestrum consilium  
 Meo par est! Eum haud ego tradidi,  
 Sed ipse nos: Haec dixi; et dixistis mihi.  
 Reum mihi esse duxi mortis, et tradidi  
 Vobis... Nihil commune eur vos dicitis  
 Cum nobis? Cuncta eum sint communia?  
 Meum nam crimen est vestro iunctissimum!  
 Eius quis nostrum consilium noverit?  
 Totus sed orbis Israelem pertinet;  
 Haud Roman Israel! In monte Sinai  
 Sunt legis tabulae. Hic aureus vitulus!  
 Potens hic nostræ gentis vis, dominium,  
 Sibique cunctos reputavit populos.  
 Sibi? Qui est parvo genitus tugurio,  
 Suam promittit gloriam post obitum.  
 Non est ab istoc mihi potestas saeculo!  
 Suaque scriptis ipse tunc poenam manu.  
 Et illuc est, nec flet, ad mortem ducitur.  
 (*Omnibus*) Hic, hic, manus cuncti debemus ponere!  
 Est namque falsi vox fictique nuncia,  
 Sonat laetitiam, dum plangit spiritus.  
 Rugit mens vestra, rugit peccato mea,  
 Ipse vobiscum convicia obruerit.  
 NIC. Ad ipsum redi, te recipiet denuo.  
 IUD. Ad ipsum adire? Nunquam! Gehennæ faces  
 Eius me praefocant, me lancingant oculi,  
 Eius vox fulgur ut me semper territat,  
 Aciesque semper luminum me alliciunt,  
 Vox personat, clangor ut tubae Ierici.  
 Omnes modo me me tradent ad posteros,  
 Eius quid ore damnationis exiit.  
 NIC. Quid? potius velim dicas tu veniae.  
 IUD. (*stat*) Erit damnationis mihi! Quid veniae?  
 (*subridens iturus*) Vah!  
 NIC. Ad necem recto te rapit superbia.  
 IUD. (*intro*) Quid? Esto!

(*Ad proximum numerum*).



## VATICANA MURALIS PICTURA

COSTANTINUM IMPERATOREM EFFINGENS BAPTISMATIS FONTE REGENERATUM

Vaticanarum aedium celeberrima ea pars est, quae vulgo «Raphaelis conclavia» appellatur, quondam Nicolai V diaeta. Xystus IV artificibus suaे aetatis maxime notis, Petro *della Francesca*, Bramantino, Bartholomeo *della Gatta*, Lucae Signorellio aliisque pingenda ea commiserat; quum vero Sanctius Romam venit, Iulius II iussit tabulas illas eradi in earumque locum ab Urbinate novas substitui, una tantum, suadente ipso Raphaele, excepta, in quodam fornice, a Petro Perusino, eius magistro, efficta.

Aularum prima a Constantino Imperatore nomen accepit, quod gesta eius vitae memoratu maxime digna depicta illic fuerunt. Heic igitur muralis pictura conspicitur, quam lectorum oculis hodie subiicimus, et est de lavacro novae et caelestis regenerationis per Sylvestrum Papam a Constantino accepto in Lateranensi, prout creditur, baptisterio,

quod ita repraesentatum est, quemadmodum illo tempore exstabat.

Notabilis inter omnes in hac splendidissima tabula nobilis cuiusdam viri figura, nigris succincta vestibus, more exeuntis saeculi xv, in qua putatur Balthasaris Comitis Castiglione, litteratissimi illius aetatis hominis, imago ad fidem fuisse expressa, non aliter atque in ceteris hisce muris alias viros et seipsum Urbinas delineavit.

«Delineavit», diximus; parietem enim hanc udo colore illinivit Franciscus Penni Florentinus, Sanctii discipulus, ac deinde cum Iulio Romano eius haeres ex testamento; qui ita a magistro habebatur, ut saepe ab ipso ad opera sua exsequenda deligeretur; quod quidem «actoris» (*il Fattore*) ei cognomentum procuravit.

FORFEX.

## ACTA PONTIFICIA

Pontificiae litterae ad Archiepiscopos et Episcopos Mexicanas civitatis ob saecularia solemnia ab instituta republica.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Per solemnia saecularia quae mox istic agentur ob memoriam institutae reipublicae, vestrum esse consilium accepimus celebres supplications indicere, quibus et debitae Deo omnipotenti grates persolvantur ob collata usque adhuc civitati beneficia, et divina in posterum benignitas imploretur. Optimum sane consilium, planeque dignum vestro vel studio divinae gloriae, vel amore erga communem patriam: quod Nos videlicet non possumus quin laudemus vehementer et probemus. Sed, quum vos illud exsequemini, nolumus praetermittatis occasionem, quae se vobis dabit praelata ad excitandos vestrorum populorum christianos spiritus. — Etenim bonorum omnium caput, quorum gens Mexicana, divino munere, compos est, in christiana fide sapientiaque consistit; quae, quum viam muniat homini ad salutem sempiternam, tum ad civilem ipsam prosperitatem, quod ipsa eloquitur historia, affert momenta maxima. Hanc vestrates, traditam sibi a maioribus hereditatem, ut incorruptam servent, vobis nimis est, uti debet esse, curae. Servabunt autem eo diligentius, quo magis cognitam habuerint. Itaque velimus, non solum ut per istas ferias sacrae ubique habeantur conciones de praecepsis institutisque Fidei, sed etiam ut perpetua quaedam constuantur Opera, per quae christiana consulatur institutioni populi, praecepsque iuuentutis. Evidem in causa tanta non vos defuturos vestris partibus, pro certo habemus. Verum ante omnia curabitis, ut vestri cives summa semper pietate colant magnam Dei Matrem; quam quidem, potissimum in templo Guadalupensi, tam praesentem et benignam experiri consueverunt. Nam quae a Patribus Concilii plenarii Americae Latinae merito praedicatur « Nutrix atque educatrix populorum istorum in fide dilectissimi Filii sui » in ipsius patrocinio intelligent per vos Mexicanani summum sibi esse praesidium ad retinendam avitam fidem. — Praeterea, quoniam satis non est christianam profiteri sapientiam nisi ei professioni vita moresque congruant, opportunum fuerit in iis suppliciis, quas estis indicturi, dare operam, ut, implorata piacularibus precibus divina venia de peccatis populi, solemnis quaedam, omnium nomine, sponsio fiat, sanctissimis Dei legibus obedienter obtemperandi, nominatum quod ad religiosam observantiam dierum festorum attinet. Iam vero ad recte saneteque vivendum mirifica subsidia suppetunt christianis in augusto Eucharistiae Sacramento, quo ipse fons continetur christiana vitae. De illo quisquis sitienter haurire solet, fieri non potest quin sensim evadat melior, meliusque in dies ipsius Iesu Christi imaginem referat. Vos igitur, si vultis vestros et privatim et publice christianis florere virtutibus, eos ad frequentandam rite sacratissimam Eucharistiam hortari

non cessabis. Nec vero negligitis ea nostrorum instituta, quae beneficam Ecclesiae sanctae virtutem explicant in omnes ordines civium, praesertim tenuiorum: quin imo vestra auctoritate instantiaque fiat, ut istie etiam illa existant ac vigeant, in primisque Opera quibus multiformis beneficentia ministratur christiana caritatis. Quo autem facilis in officio contineatis officies, tutosque ab insidiis *Socialismi* praestetis, iis magnopere auctores eritis, ut, coniungendo inter se vires, Religione auspice et magistra, rationibus suis ipsi consulant. Quod reliquum est, quoniam mores infinita scribendi licentia et spectaculorum corruptelis depravantur maxime, vos non satis habere debetis utrumque denuntiare periculum, sed contendere a catholicis, ut iis tantum suffragentur in utroque genere qui pudicitiam custodian Religionemque observent. Ac de diariis et libellis, ut aiunt, *periodicis*, utinam omnes boni sibi suadeant, omni ope curandum ut scripta id genus vere catholica catholicis suppeditent: certe nihil est quod hodie pluris interesse putemus. — Haec, Venerabiles Fratres, admonere vos habuimus hoc tempore: quae si vos, pro vestra pastoralis officii diligentia, studueritis adducere ad effectum, non ista civitatis Mexicanae solemnia carebunt optimis fructibus. Nos interea, caelestium auspicem munerum ac benevolentiae Nostrae testem, vobis et universae genti Mexicanae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiii Februarii MCMX, Pontificatus Nostri, anno septimo.

PIUS PP. X.

— Per Apostolicas litteras d. d. xiv mens. Februarii MCMX districtus Pao-Ting-Fou separatus est a Vicariatu Apostolico Ce-li Septentrionali, exque eo novus erectus est Vicarius Apostolicus Ce-li Centralis appellatus.

— Per Apostolicas litteras d. d. xxiv mens. Februarii MCMX Dioecesis Akerensis ab Amadiensi Chaldaeorum disiuncta est et ita separata ac divisa *provisorie et ad interim* administrationi coneredita est Patriarchae Babylonensi *pro tempore*.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS  
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

**Ex Congregatione Concilii.**

*De indulto quadagesimali Bullae Crucis in Hispania quoad pauperes.*

— Pauperes ut fruantur in Hispania indulto quadagesimali Bullae Crucis non tenentur ad eleemosynam elargiendam; tenentur autem si frui velint aliis privilegiis Bullae Crucis. (Ex deer. Gerunden. d. xxiii mens. Ianuarii MCMX).

**Ex Congregatione Consistoriali.**

*De Sacerdotum Polonorum admissione in clerus dioecesanum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis.*

— Anno proxime elapo, Episcopus Superiorensis quaequivit a S. Congregatione Consistoriali utrum instructio data a S. C. de Propaganda fide die 25 Februarii 1896 ad Revmos. Ordinarios Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis post Constitutionem *Sapienti consilio* adhuc in suo vigore maneret necne. — Citata instructio ita se habet: « Nullus sacerdos, vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia dioecesi mediate migraverit, in clerus dioecesanum admittatur, nisi testimoniales litteras exhibeat huius S. C. quibus de legitima discedendi a dioecesi facultate, de immunitate a censuris, neconon de bonis moribus praesentantis plane constet ». — Propositum itaque fuit in S. C. hoc dubium solvendum: « Utrum post Const. *Sapienti consilio* adhuc vigere dicenda sit instructio S. C. de Propaganda Fide diei 25 Februarii 1896 relate ad clericos polonus in Status foederatos Americae Septentrionalis migraturos. — Re autem mature perpensa Emi. PP. in generali conventu diei 9 Decembris 1909 respondendum censuerunt: « Post Const. *Sapienti consilio* standum decretis S. C. Concilii ». Decreta autem de quibus mentio fit in hac resolutione sunt: a) Decretum 14 Novembris 1903 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis. — b) Decreta 20 Iulii 1898 et 24 Novembris 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione. — c) Decretum 22 Decembris 1905 de seminariorum alumnis.

*De insula S. Honorati.*

— S. Honorati insula, nulla prorsus admissa immutatione, dioecesi Foroiuliensi ut antea servabitur, eiusdemque dioecesis uti pars perpetuo habebitur. (Ex deer. d. XXII mens. Februarii MCMX).

**Ex Congregatione Indicis.**

Ex decreto d. VII mens. Martii MCMX damnantur, proscribuntur et in Indicem librorum prohibitorum referuntur opera quae sequuntur:

JOSEPH TURMEL, *Histoire de la théologie positive, depuis l'origine jusqu'au concile de Trente*. (Paris, Gabriel Beauchesne et C.<sup>ie</sup>).

— *Tertullien*. (Paris, Bloud et C.<sup>ie</sup>).

— *Saint Jérôme*. (Ibid.).

ANGEL PULIDO FERNANDEZ, *Españoles sin patria y la raza sefardi*. (Madrid, E. Teodoro, 1905).

LUIS GAMBARA, *La sociología; manual para estudiantes de derecho, de filosofía y de bachillerato y de cultura general*. (Barcelona, casa editorial, 1909).

— *Sociología criminal; manual para abogados, médicos forenses, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general*. (Ibid., 1909).

— *Antropología criminal*: especial para abogados,

médicos, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general. (Ibid., 1909).

— *Psicología y antropología criminal; curso dado en el salon doctoral de la universidad de Barcelona*. (Ibid., 1909).

ICSEPHUS TURMEL et FORTUNATUS RUSSO, Decreto S. Congregationis edito die 5 Iulii 1909, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecerunt.

**Ex Congregatione Rituum.***Dubia circa Ecclesiae et altarium consecrationem.*

I. — In consecratione Ecclesiae consecratum fuit altare, cuius mensa habebat sex cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio et sextam supra lapidem quo clauditur sepulchrum reliquiarum. Signatae porro sunt cum aqua primae quinque cruces, at cum saeris oleis tantum primae quatuor et sexta, omissa quinta. Quid in casu faciendum? — *Resp.* Orator seu consecrants in casu acquiescat.

Hinc quaeritur :

II. — An signandae et ungendae sint primae quinque cruces, an primae quatuor et sexta? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

III. — An responsum huic quaestioni valeat etiam pro altaribus portatilibus? — *Resp.* Affirmative.

IV. — An in consecratione altarium portatilitum Episcopus consecrants debeat ipse omnes cruces propria manu ex incenso formare et candelas impone; an his in actionibus a sacerdotibus adiuvari possit? — *Resp.* Episcopum consecrantem in praedictis actionibus posse adiuvari a sacerdotibus. (Ex deer. Brunnen. d. XIV mens. Ianuarii MCMX).

*De benedictione partis tantum sacrorum oleorum.*

— Postulato Rmae. Curiae Episcopalis Manituanae ad Saeram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmisso sub die 24 Ianuarii 1910 circa consuetudinem antiquam etiam immémorialem benedici Feria v in Coena Domini tantum partem Sacrorum Oleorum, eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis, Saera Rituum Congregatio d. XXVIII mens. Ianuarii MCMX respondendum censuit: Servetur Decretum n. 2883 *Patavina* 7 Decembris 1844, ad 3, non obstante enunciata consuetudine.

*De machina « Grammophono » in sacris functionibus.*

— In Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est parentia magistri organi vel cantorum etiam laicorum minime licet uti machina vulgo dicta *Grammofono* pro cantu, striete liturgico gregoriano, partium variabilium Missae sollemnitis, hymnorum et aliorum cantorum. (Ex deer. Squillacen. d. XI mens. Februarii MCMX).

*Dubia circa Missam votivam SS. Apostolorum Petri et Pauli, Festa Titularis et dedicationis Ecclesiae cathedralis et lectiones 1<sup>o</sup> nocturni in Festis S. Francisci Xaverii, S. Antonii Patavinci et S. Aloisii Gonzagae,*

*quando pro ipsis recurrendum sit ad Commune Confessorum.*

I. — Utrum ad Missam votivam Officio votivo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli respondentem, in Vigilia Omnium Sanctorum sub die 30 vel 31 Octobris, tertia Oratio debeat esse *Concede nos famulos tuos de Beata Virgine, au potius Deus, qui corda Fidelium de Spiritu Sancto, quae ad Missam ipsius Vigiliae uti secunda praescribitur?* — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam in casu proposito.

II. — Utrum Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava extra ipsam Cathedralem, habendum sit tamquam Festum primarium vel secundarium? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum Generale n. 3810, diei 27 Augusti 1893 ad I.

III. — Utrum Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem, sit aestimandum tamquam festum primarium, an vero ceu Festum secundarium? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum Generale, n. 3863 *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae*, diei 9 Iulii 1895 ad II et III, ubi Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus e Clero propria aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus.

IV. — Utrum in festis Sanctorum Francisci Xaverii, Antonii Patavini et Aloisii Gonzagae, si pro Lectionibus I Nocturni recurrendum sit ad Commune Confessorum, Lectiones sint sumenda e primo, an potius e secundo loco? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. (Ex decr. d. xvi mens. Februarii MCMX).

— Per decretum *Parentin. et Polen.* d. xxiii mens. Februarii MCMX confirmatus est cultus ab immemorabili tempore praestitus Servo Dei Iuliano Cesarello de Valle, Sacerdoti Professo Ordinis Minorum S. Francisci, Sancto et Beato nuncupato.

— Per Decretum *Meliten.* d. eiusd. signata est Commissio introductionis Causae Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Adelaidis Cini, Fundatricis Hospitii a S. Corde Iesu, Melitae.

— Per Decretum *Sinarum* d. eiusd. signata est Commissio reassumptionis Causae pro canonizatione Beati Ioannis a Triora, Martyris, Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci.

— Per Decretum *Aurelianen.* d. eiusd. signata est Commissio reassumptionis Causae pro canonizatione Beatae Ioannae de Arc, Virginis, Puellae Aurelianensis.

#### **Ex Congregatione de Sacramentis.**

*Circa dispensationes ab impedimentis matrimonialibus concedendas regibus et regiae stirpis principibus.*

Dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impedientibus, quae regibus ac regiae stirpis principibus erunt concedendae, Sedi Apostolicae speciali modo sunt reservatae, ita ut

ab huius potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti; eademque potestas in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus est comprehensa. (Ex decr. d. vii mens. Martii MCMX).

#### **DIARIUM VATICANUM**

(Mense Martio MCMX).

#### **Coram SSmo admissiones.**

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliquosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Newton Iames Moore, minister primus atque aerarii custos in Occidentali Australia; Heber Jackson, minister cum omni potestate Uruguaiana civitatis apud Apostolicam Sedem; D'Ones Reggio, dynasta; D'Erp. dynasta, Belgarum minister apud Apostolicam Sedem; De Meram, Comes, ex intimo Consilio Imperii Austro-Hungarici; Camillus Rospigliosi, princeps Urbanus; P. Kasprzycki, praepositus generalis Congregationis a Resurrectione D. N. I.; P. Blum, eodem munere fungens apud Congregationem a Divino Verbo; P. Marechaux, Abbas generalis Ord. S. Benedicti a Monte Oliveto; P. Schuler, minister generalis Ordinis Fratrum Minorum Unionis Leoniana; De Gonzales marchio, Hispanicae legationis apud Apostolicam Sedem consiliarius; Pontificium Collegium Leonianum de Urbe; Ting-Fang Princeps, Sinensium Imperatoris minister; Austrorum Hungarorumque manus Romanum peregre presentium; Pontificii Instituti Biblii doctores et alumni; Loflitz Princeps, Bohemiae marescallus; Dietrichstein Princeps; De Meiningen, Comes; Sacer Purpuratorum Senatus, Coetus Legatorum ex omnibus civitatibus apud Apostolicam Sedem, Aulicique omnes omnia et vota offerentes in diem Pontificis nominalem; Marinus Saluzzo e Corigliano, Comes; Consilium Ordinis S. Benedicti ex Brasilia; Wurtembergenses, Bavari et Austraci peregrini; peregrinatio adulescentium Austraci Hungaricisque scholis vacantium.

#### **Pontificiae electiones.**

— Angelus Alfonso Maria Ettinger, monachus O. S. B. archieconobii Montis Casini, abbas nullius SSmae. Trinitatis Cavensis dicitur.

— Exemus. vir Augustinus Iosephus Callier, episcopus Harlemen., inter Episcopos adsciscitur Pontificio Solio adstantes.

— Patrikius Ricardus Heffron, rector Seminarii archiepiscopalii S. Pauli di Minnesota, episcopus Vinonensis in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis; Carolus Augustin, canonicus ad honorem ecclesiae cathedralis Vratislaviensis, episcopus tit. Dioecesarien. et auxiliaris Em. ac Revni. Episcopi Vratislaviensis; Iosephus Alves Martins, canonicus archidiaconus ecclesiae cathedralis Loandae, episcopus S. Iacobi Capitis Viridis renunciantur.

— Purpuratus Pater Beniaminus Cavicchioni Sacrae Studiorum Congregationi praeficitur.

— Inter iudices Sacrae Congregationis Concilii cooptantur exemplus. vir Petrus Alfonso Iorio, archiepiscopus tit. Nicomedien., r. p. Vital e Societate Iesu et r. d. Dantes Munerati e Congregatione Salesiana Ven. Ioannis Bosco.

#### **Varia.**

Die xxvii mens. Martii, Dominicae Resurrectionis Festum, SS. D. N. in Xystino Sacello sacra litat, eiboque eucharistico reficit fideles ad trecentorum numerum, ex exterris gentibus maxime.

# ANNALES

## Balkanicae res.

Balkanica quaestio, nullo quamquam, fausto auspicio, belli metu, civilium moderatorum praesertim mentes, proximis etiam diebus, occupavit. Rumor enim primum manavit Balkanicos inter populos foedus proxime iri constitutum; quod vero impossibile, nunc saltem, plerisque visum est, tum ob nimias adhuc inter illas gentes dissensiones, tum Turcarum favore deficiente, tum denique quod temeraria in Austrorum Hungarorumque imperium provocatio passim id foedus haberetur. Ceterum ad disceptationes huius generis omnino dirimendas, tum compositio opportune intervenit inter Austros ipsos et Russos de communibus agendi rationibus vulgata, — ex cuius documentis facile innotuit, gubernia illa de « statu quo » in Balkanica regione minime innovando plane simul consentire —; tum etiam propinatio, qua Russorum Caesar Serborum regis, qui Petropolim adivit eum visitandi gratia, turgidis verbis respondit; non ea certe, quae spem aliquam inflaret de Balkanicis rebus vel minime innovandis.

\*\*

## In Graecia.

Neque ex Graecia inopinatos ac deplorabiles eventus intercessuros sperare licet; siquidem, regio edicto renuntiato de « constitente » coetu habendo die XIV futuri mensis Septembbris, militare foedus, quod campum ipsum publicae institutionis invaserat, tandem resolutum est, aperte hoc actu declarans exercitum ad militaria unice intendere debere. Quod iamdiu erat in votis!

\*\*

## Finis Finlandiae.

Iamvero etiam de iuribus huius nordicæ Europæ regionis propriis, praedicanda est finis. Recentibus enim edictis, omnia ferē circa leges ferendas capita, huc usque coetui Abo in urbem convenienti reservata, ad Petropolitanum coetum delata sunt; atque simul Finnorum participatio ad gubernii consilium valde reducta. Non est dubium quin huiusmodi constituta rata a Petropolitanis legatis habeantur; neque Finnicis civibus reliquum erit, — iamque id dictant — quam renixum novis legibus hoc ritu sanctis opponere; quod quidem proculdubio causa perturbationum facile erit heu! futurum.

*Nihil est virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe quum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.*

CIC. — *De am.*, VIII.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** nova nomina tum exercitui tum classi comparata.

In **Austria** leges ad aerarium spectantes in disceptationem vocatae rataeque habitae.

In **Borussia** nova comitiorum ratio tandem proposita; cum immutationibus vero iis, quas catholiconrum et « conservatorum » factiones poposcerant.

In **Gallia** dum nova comitia parantur urgetque opus ut legis rogationes a gubernio propositae omnes probentur, graves de repetundis accusationes in bonorum a religiosis Congregationibus ereptorum gestores inlatae.

In **Germania** a Cancellario tum de internis tum de exteris rebus optimae condiciones relatae.

In **Hungaria** sessio ferendarum legum, ab anno MDCCCV inchoata, absoluta est post probrosos tumultus a Justhi factione factos; in quibus administrorum praeses Khuen-Hedervary et agriculturae administer Sereny leviter vulnerati sunt.

In **Italia** administratorum consilio, cui Sidney-Sonino praeverat, a munere recedenti, novum suffectum, praeside Luzzatti.

In **Russia** rationes de internis rebus in disceptationem vocatae, refectionesque libenter recognitae tum de statu generali civitatis, tum de publica securitate.

## PER ORBEM

Die VIII mens. Martii MCMX, Humebutell, in opido Germaniae, aëronavis, cui nomen *Ruthanburg*, in terram praecipitat et frangitur.

— d. x, Vindobonae, late defletus obit Carolus Lueger, civitatis administer primus, Catholicorum propugnator.

— d. XII, Ligurni, bellica Graecorum navis *Aenorof* in mare fauste ac feliciter immittitur.

— d. XIV Romae, in Pantheon, post iusta funebria Humberto I, Italorum regi, persoluta, eius sepulcrum inaugurator.

— d. XV, Vindobonae, vita fungitur Helfert dynasta, civilium et historicarum rerum scriptor insignis.

— d. XXI Bethmann Holweg, Germanici imperii cancellarius, Romanum advenit.

— d. XXII Ferdinandus, Bulgarorum rex, eiusque uxor Constantinopolim appellunt, Turcarum Caesarem visitaturi.

— d. XXIII in Apulia flumina limites passim exsuperant atque ingentia damna procurant; Aetne

autem, Siciliae mons, novis ex improviso apertis hiatibus liquefacta saxa evomit, quae sata laeta comburunt oppidaque circum destruere minitantur.

— d. xxiv, Lutetiae Parisiorum moritur Eugenius De Vogué, litteratus vir praeclarus.

— d. xxvii, Florentiae, aviationis certamen initur.

Ockoriti, Hungariae in oppido, dum in horreo quodam populares choreae aguntur, incendium exoritur; quumque effugii via non satis suppeditet, trecenti et ultra ex iis qui aderant flammis crudeliter absumuntur.

— d. xxix Theodorus Roosevelt, ex ferarum venationibus redux, quas per Africam egit, Cairi urbis in athenaeo de animo viriliter instituendo orationem habet.

— d. xxxi, Saint Mandé in oppido Galliae, quartum supra quinquagesimum aetatis annum agens, supremum vitae diem explet Ioannes Moreas, Franco-Hellenicae, quae vulgo appellata est, poeticae scholae magister.

## LIBRORUM RECENSIO

VICTOR CATHREIN S. I. — *Die katholische Weltanschauung in ihren Grundlinien, mit besonderer Berücksichtigung der Moral.* (Friburgi, Herder, 1909).

Vix post annos duos, ex quo notissimi scriptoris opus primum venit in lucem, en altera editio novis paginis et capitibus locupletata. Quae quidem tum populi favoris apertum indicium sunt, tum etiam demonstrant indefessum auctoris laborem, ut opera sua omnibus ex partibus absoluta reddat. Et sane librum de quo agimus ita perfecit, ut non amplius desiderari queat ab homine qui dubia enodare velit, solidam fidem sibi constituere animumque ad bonum praetexere. Generis humani origo et finis; Christi ecclesia; virtutes coelendae; officia exercenda: haec voluminis praecipua argumenta, apud quae agitatae magis hodie quaestiones (ex. gr. « evolutio » — Christi divinitas eiusque resurrectio — Ecclesiae characteres, etc.) suum locum inveniunt, in disceptationem vocantur, persolvuntur. Eequando in Gallicum et Italicum sermonem, ad nostrorum iuvenum maximam utilitatem, Cathrein etiam hoc opus conversum videbimus?

P. B. MEISTERMANN O. F. M. — *Nouveau guide de Terre-Sainte.*

Id. *Guide du Nil au Jourdain par le Sinaï et Pétra, sur le traces d'Israël.* (Lutetiae Parisiorum edid. Picard, 1909).

In libris hisce scribendis auctor sibi proposuit viatoribus, iis praesertim qui religionis caussa per terras a Christo habitatas eiusque sanguine cruentatas pere-

grinantur, brevibus iisque claris paginis offerre quae pro certo hodie magis habentur de locis biblicis et memoriis ad ea attinentibus. Ita non modo geographicum atque historicum opus confecit, sed quod pietati etiam satisfaceret; quin etiam — homo apprime pragmaticus — et vitae usui atque commoditati viatorum prospexit, siquidem non desunt praecepta et consilia cuique regiones illas peragrandi non solum utilia, verum etiam interdum necessaria. Accedunt tabulæ plures et diagrammata ad textum magis magisque explanandum.

*Pensées de Joubert.* Reproduction de l'édition originale, avec la notice historique du frère de Joubert. Introduction et notes par VICTOR GIRAUD. (Lutetiae Parisiorum edid. Bloud, 1909).

Jouberti *Cogitationes*, rogante moralis illius exquisiti philosophi uxore, collegit ediditque primum Chateaubriand anno MDCCCVIII; sed quae sequutae sunt editiones saepe immutatae passimque variatae fuere. Giraudius ad Chateaubriandi rationem rediit, quippe quae ipsi visa sit per unitatem simul atque concessionem auctoris mentem integrum offerre. Id in operis prooemio novus hic Jouberti *Cogitationum* recognitor contendit; sequitur Chateaubriandi praefatio, cui vero historica notitia praecedit, parum cognita eaque magni pretii, quam Arniaudus Joubert fratri memoriae sacravit.

P. SISTO SCAGLIA O. C. R. — *I « novissimi » nei monumenti primitivi della Chiesa.* (Edid. Romae Pu-stet, 1910).

Clarissimum auctorem christianaे antiquitatis abunde peritum iam lectores nostri noverunt, siquidem scientiae suae specimina non semel in *Voce Urbis* obtrulimus. Novissimo hoc Opere christianaе antiquitatis monumenta is repetiit, unde doctrina quam maiores nostri de futura vita professi sint, facilius deduci posset. Evidem eam invenit, qua Catholicae Ecclesiae fidei immutatio omnino confirmetur. Disquisitio in sex capita distribuitur: 1) *Animae sors post mortem* (Magni momenti heic occurrit, quod in epigraphia christiana verba reperiantur, quae in « Missae canone » apud « memento mortuorum » leguntur). — 2) *Communio Sanctorum* — 3) *Animae iudicium particulare* — 4) *Corporum resurrectio* — 5) *Universale iudicium* — 6) *Immediata remuneratio*. Quum satis in aperto sit monumenta non minus quam documenta in theologiae positivae, prout dicitur, studio adhibenda esse, nemo non videt P. Xysti librum, summa cum diligentia exaratum, ab eo qui « novissimorum » doctrinam ex omni parte velit expeditare necessario adeundum esse.

P. ANTONIO VICENT S. I. *Conferencias pronunciadas en el primer curso social, en el Centro de defensa social.* — Madriti, ex off. Commentarii de Archivis (*Rivista de Archivos*), 1909.

Non cogitationum singulare acumen, aut novarum rerum studium in quatuor hisce orationibus quaeasieris, sed eruditionem hodiernae vitae usui accomodataam atque

denotionum messem satis copiosam, tum circa « quæstionem socialem » atque Leonis XIII de re doctrinam, tum de consociationis iure, atque ideo de mutuo auxilio inter opifices promovendo, de societatibus cooperationis more aut publica auctoritate sive statuendis sive statutis; siquidem eiusmodi notitiae tum de Hispania, tum de exteris populis ad argumenta confirmanda afferuntur.

A. GEMELLI *I funerali di un uomo e di una dottrina.*  
(In morte di Cesare Lombroso) — Ex off. editrice Florentina, 1909. (Ven. lib. 1).

Orationis huius, quam clarissimus auctor magno cum plausu per Italiam habuit, nunc autem in luce edidit, ea fuit propositi summa, ut vana omnino ostenderetur doctrina, quam Caesar Lombroso eiusque asseclae « veteri eidemque christiana metaphysice » obiicere conati sunt; idque optime perficitur Lombrosum ipsum producendo ut fuit homo, scientiae cultor, philosophus, eiusque cogitata praecipua « de homine sive maleficio sive geniali » acute destringendo. Velim ut has paginas iuvenes, praesertim qui in athenaeis atque in scholis superioribus versantur, iterum itreumque perlegant.

I. F.

### LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Abbé GEORGES FREMONT. *La grande erreur politique des Catholiques français.* — Lutetiae Parisiorum edid. Bloud et Soc., 1910.

Card. ALFONSO CAPECELATRO, Arcivescovo di Capua e Bibliotecario di S. R. C. *Una promessa di Gesù.* — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 0,20).

Can. Dott. GIOVANNI DI COCEO. *Vade mecum del predicatore del Mese di Maggio.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

FINN FRANCIS. *Claude Lightfoot.* Racconto americano. Traduzione dall'inglese di Fanny Cencelli. — Indidem. (Ven. lib. 2).

FONSSAGRIVES. *L'educazione della purezza.* Consigli ai genitori e ai maestri. 1<sup>a</sup> traduzione autorizzata su la 15<sup>a</sup> francese di Paolo Cesare Rinaudo. — Indidem. (Ven. lib. 2).

L. BEURLIER. *Il mondo giudaico al tempo di Gesù Cristo e degli Apostoli.* — Indidem. (Ven. lib. 1,20).

*Indulgenze concesse a tutti i Fedeli dai Sommi Pontefici* dall'Agosto 1898 al Dicembre 1909, con aggiunta delle concessioni posteriori fino a tutto Febbraio 1910. — Con approvazione della Suprema S. C. del S. Offizio (Sezione Indulgenze). — Romae apud Ferrari et Castello, 1910 (Ven. lib. 1,50).

### EPISTOLARUM COMMERCIVM

Cl. v. JOSEPHO W...., *Varsaviae Polonorum.* — Non facile, mihi crede, eiusmodi dolores mitigantur!.... Doctoris titulo in iure ab an. MDCCCXC; in litteris autem ab an. MDCCCXII sum honestatus. — Novum domicilium tuum planene intellexi?

Cl. v. ANDREAE H...., *Mödling ad Vindobonam.* — De humanissimis verbis plurimas tibi ago gratias; de communita destinatione gaudeo eoque etiam quod facilius nobiscam deinceps communicare poteris.

Cl. v. IOANNI P...., *Dertusae;* L. LAUR...., S. I., *Canterbury.* — Scripta collegiorum vestrorum magno cum desiderio exspectamus.

Cl. v. ADOLFO B...., *Goritiae.* — Eequid iamdiu taces?

Cl. v. I. R...., S. Francisci. — Ad proximum numerum.

A SECRETIS.

### AENIGMATA

#### I.

*Tota volat per aquas. Truncor si vertice, mellis  
Dona dabo moriens; aëra possideo.  
Bis me si minuis, tua quae sit, redde, voluntas!  
Sed quum ter minuar, lector, abire voles.*

#### II.

*Est caput in Divis, eui sacra est integra virgo.  
Effugiat caudam, qui timet invidias.*

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:**

**VINCENTII LANFRANCHI  
DE ORATORIBUS ROMANIS  
ACROASIS.**

Aenigmata an. XIII, n. I proposita his respondent :

#### 1) Ava; 2) Succus

Éa rite soluta miserunt:

R. Richi, *Traianopoli.* — M. Scarpini, *Roma.* — Iac. Cordara, *Purontio* — Hern. Forgeot, *Nicazac ad Varum.* — Nic. Lagunina, *Panormo.* — A. Tonelli; F. Arnori, *Mediolano.* — P. Prado, *Venetiis.* — Petrus Tergestinus. — Arch. Magliano, *Genua.* — G. Giani, *Seniš.* — I. M. Meunier, *Corbiniano.* — I. Ciolfi, *Papia* — Franc. Baturewicz, *Zyтомирія.* — Alex. Pin tauro; F. Starace, *Neapolit.* — F. X. M., *Drepano.* — Eug. Dolmar, *Chicagino.* — Alex Fásztusz, *Szatmar.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — F. Correa *Emerita.* — I. Ortiz, *Moresia.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — A. Bonin, *Aurisiano.* — Alb. Perraud, *Parisiis.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Ios. Martins, *Philadelphia.* — I. Ortiz, *Moresia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — I. Costa, *Dumio.* — Lud. Goux, *Bituricis.*

Sortitus est praemium:

IACOBUS CORDARA,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA actio dramatica, versibus senariis conscripta, cui titulus:

TARCISIUS.

**Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus**

ROMAE — Ex officina Societatis Romanarum Editricis.

# ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)

Sustulit ille caput, contractoque ore, licet voce submissa:

— Iure obiurgas, — inquit — legate; at, die, rogo, quis haec ad te miserit, cuiusque epistola sit?

Tunc ille aperto sermone:

— Haud sunt ferme recens nuptae characteres; sed Domitii Afranii patris eius.

— Recens nuptam, dicis? — anxie petit iuvenis subito gressu procedens.

At ille lenta voce:

— Tua ne mente excidat coram legato te esse: audi igitur quieto animo. Afranii litterae sunt ad Quintilium Varum, qui ad me, quem patris tui contubernalem novit, te earum latorem misit subscriptaque ut rem nunciarem amice. Res sunt Luciae Domitillae, Domitii filiae, nuptiae cum Quinto Aulo praetore. Puellae mandato arrae tibi remittuntur, quas ei olim dedisti.

Dum haec verba brevi et quasi neglecta voce Caecilius profert, pallor vicissim atque rubor iuvenis os rapida vice occupabat, et represso vix fremitu, eius pectus concutiebatur. Mox caput demisit defixis in solum oculis, dum ille pergit mutata voce:

— Ad alterum veniamus igitur, sintque ea nuptialibus nunciis laetiora.

At vix alteram devolvens membranam oculos in eam coniecit, statim e lectulo prosiluit, atque attoniti iuvenis prorsus oblitus, e tentorio erumpens magna voce centurionem advocavit.

Quem exemplo ingressum — eratque ei athletae quasi corpus, — rogavit concitis verbis:

— Balbe, exquid novi ab extremis excubiis?

— Nihil, quod sciām.

At institit legatus:

— Barbarorum copias instare, aggredi, conspici in silvis?

— Minime quidem — firma voce ille respondit.

— Quieta igitur omnia?

— Puto; adventum si exceperis equitis huius.

— Proh verum est! — clamavit tum Caecilius, palmaque frontem percutiens, ad Atiliū conversus:

— Dic tu igitur — rogavit. — Barbaris ne occursti?... Age... tibi dico, eques, audisne?

Atilius enim videbatur quae circum essent non videre; adeo attonitis oculis lucernae flammulam admirabatur. At centurio silentis excussit brachium:

— Audi, eques, quid legatus rogitet? Barbaris occursti?

— Barbaris? — tunc ille quasi e sommo excitatus.

— Me immemorem! Occurri exquidem, etsi re non vi derim; sed sagittas audivi sensim in me coniectas.

— Ubinam? — sciscitavit anxie Caecilius.

— In silva, nec longe a castris, Pegasumque meum carissimum vulneratum...

— Martem obtestor! — intercepit Caecilius. — Abite statim ambo — iussit; — canite tuba, advocate tribunos!... Abite, hercle, in crucem! — Quumque duo illi prae stupore nutarent adhuc, ipse cingulum ex clavo arripuit, seseque festina manu succingens e tentorio erupit.

## II.

Atilius vero demisso arroganti capite media per tentoria contrariam arripuit viam. Dum ille tamen quasi ebrius incerto ac nutante gressu properat, canebant procul tubae, quae tribunos centurionesque ad concessionem vocabant. Mentem vero iuvenis animumque veluti febrilia somnia occupabant, dissitae maxime a castrensis rebus species, solaque in auribus verba legati vehementer insonabant, quae Luciae Domitillae nuptias significaverant. Manet enim saepe unumquemque nostrum decretoria quaedam vitae hora, qua vel incautis cuiusquam dictis, vel nutu inopino, aut ietu oculi male ominato, aliave levissima causa, omnes adolescentiae spes adeo velociter delabuntur, ut exactam simul iuventutem, initiamque maturorem aetatem momento temporis experiamur.

Hae dum iuvenis inconscio in animo succeedunt species, rectum iter sequutus, is ad portam praetoriam paulatim rediit, occurritque custodiae militibus, qui, defixa humi facula, iacenti equo galeam aqua plenam admovabant. Qua re percusus, statim ab internis curis rediit Pegasumque iacentem agnovit.

Procumbit igitur, galeam ipse abripit, ac sustentans laeva belluae nares in os aquam immittere conatur. Bellua contra arce obseratis dentibus et languentibus oculis planetu suffusis, tota infremuit. Aderat eius vulneri constricta loris vitta; frustra tamen; nam alternante anhelitu, sanguinis fluctus vulnere erumphebat ac late circum cruentabat terram.

Brevi autem ne caput quidem erigere bellua valuit amplius, recubuitque in sanguine suo, distentisque cruribus, auctoque membrorum tremitu, mortis angore obstringi apparuit. Palpabat equum iuvenis et anxie blandiebatur tanto vocis moerore, ut nunquam eum diceres maiore luctu fuisse correptum: tantus erat vultus pallor tantusque ex oculis fletus vix cohibitus erumphebat.

— Pegase, gloria nostra, dominae nostrae deliciae... intuere herum, ne me tu quoque deseras, quem infida domina iamdiu feffellit...

At quoniam lacrymis non licet instaurare vitam, quum miserrimus ille morientis caput iterum sustinuisse, supremus mortis fremitus belluam concussit, cuius caput equitis manu effugit; mox altissimo hinnitu, pulsans vanum unguis aërem, iners bellua iacuit. Concidit in cadaver Atilius suumque ipse caput percutiens:

*(Ad proximum numerum).*

I. A. COSTAGGINI.